

minis movebat: modo classicum canens, ad iracundiam accendebat, ut martio correptus furore in arma prosiliret: mox sedato cantu ad pacem et quietem sedavit. Conatur etiam in nobis hoc efficere Ecclesia: sed non tam felici eventu. Per quadragesimam occinebat nobis Ecclesia, *Miserere et Kyrie eleison*, nunc canit alleluia. Sed qualis ibi tristitia, hic lætitia.

II. Ad Dei laudem et gratiarum actionem qua reconciliatorem nostrum Christum et Deum, cui reconciliati sumus, laude et gratiarum actione prosequamur; qui secundus gradus est gratitudinis. Solemus enim nos post insignem aliquam obtentam victoriam, convenire in unum et cum tubis, tympanis et musica cantare hymnum *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem: id quod discimus primo, a patribus veteris legis. Ita Exod. XV. post demersum in mari rubro Pharaonem, persecutorem Israelis, cecinit Moyses et filii Israel carmen Domino: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare, etc.* Idem fecit Debbora cæso Sisara, Jud. V. Et Judith percusso Holoferne, Jud. c. XVI. Discimus idem a gentilibus, Romanis præsertim, qui pro victoria obtenta plurimum et sæpe quinquaginta dierum supplicationes ad deorum suorum templa instituebant, ubi grandes natu matres manibus amplexæ et viri seorsim coronati procedere et diis suis, quos vero putabant, gratias agere solebant; ut refert Majol. to. III. Canic. coll. II. auct. antiquitat. Roman. l. X. cap. XXVIII. Quanto rectius igitur et æquius nos id facimus, qui a gravissimis omnium hostibus liberati sumus a peccato imprimis, quod ad instar Pharaonis nos insequentis in mari rubro sanguinis Christi suffocatum est; a diabolo qui instar Sisaræ affixus est, et clausus in abyso per Christum, ut jam non nisi volentem lædere queat; a morte, cui velut Holoferni caput est ademptum superbiæ et tyrannidis: unde ei illudens apost. I. Cor. XV. ait: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Propterea igitur Ecclesia per quinquaginta dies usque ad pentecosten, plures, quasi quinquaginta dierum supplicationes instituit, et in iisdem toties alleluia ingeminat, ut nos ad laudem Dei et gratiarum actionem hortetur, siquidem alleluia ut diximus, laudare Deum sonat. Imo, si taceremus, pudefacerent nos pueri illi, qui Christo prælium inituro accinebant: *Hosanna, benedictus*, tamquam jam victori. De quibus etiam Dominus dixit: *Si hi tacuerint, lapides*

*clamabunt.* Scribit S. Hieronym. de S. Paula abbatissa in epitaphio ejus ad Eustochium, solitos olim monachos et moniales hac voce alleluia convocari ad nocturnas preces in templum. Sit igitur et nobis hæc vox incitamentum ad laudandum Deum. S. Franciscus audito avium cantu statim excitabatur ad Dei laudem: David excitabatur e somno et surgebat ad psallendum, quando sonitum aeris citharam et psalterium de mane juxta se verberantis audiebat; ut volunt Rabbini in Psalm. LVI. ubi ait David: *Exurge psalterium et cithara, exurgam diluculo*; ita et nos cum audimus Ecclesiæ cantores, aerem quoque ipsum in organis et tubis, in citharis et psalteriis alleluia resonantem, excitemus nosmetipsos ad Dei laudem concinendam.

III. Hortatur ad pugnam spiritualem ut Christo pro nobis et ante nos dimicanti strenue cooperemur, quo modo milites tympanis et tubis, vel etiam horisono clamore ut Hungari ad præliandum accenduntur. Tametsi vero Christus jam de facto principalem nobis obtinuit victoriam, qua nos a diaboli tyrannide et peccati liberavit jugo libertatemque nobis restituit; non ideo tamen rem totam confectam existimemus, supersunt enim adhuc hostes licet fracti, dispersi et debilitati, qui nobis insidientur; quia spiritus malus pulsus assumit secum alios septem spiritus nequiores se et reverti cupit, Luc. XI. unde etiamnum nobis vigilandum et fortiter pugnandum est. Quid enim juvat hostes nostros expulsos et fugatos esse a Christo, si nos lusui luxuique vacantes iterum iis portas aperiemus? I. Reg. VII. Terruit Deus magno fragore Philistheos et sine pugna fugavit; ne tamen sperarent Israelitæ Deum id sæpius aut semper facturum, ideoque ignaviæ se dederent, erexit Samuel ibi lapidem adjutorii et dixit: *Huc usque auxiliatus est nobis Dominus, q. d. hanc quidem victoriam obtinuimus per meram Dei gratiam sine cooperatione nostra, sed non semper id eveniet; reliquum est, ut deinceps nos alacriter pugnemus.* Devicit quidem et fugavit Christus hostes nostros, peccata scilicet per ingentem fragorem, quando clamans voce magna expiravit: cujus rei testis est figura crucis erecta quasi lapis adjutorii, sed huc usque auxiliatus est nobis Christus: videndum nunc ut id conservemus, quod ipse nobis victoria sua peperit. Obtinuimus primam victoriam in baptismo sine omni nostro labore: eo usque auxiliatus est nobis Dominus. Quod si postea rursum peccemus, tunc Christus non salvabit amplius nos sine nobis, sed requirit penitentiam, laborem et cooperationem nostram. Quamquam etiam sic victoriam nobis acquisivit, quia ita debilitavit

hostes nostros dæmonem et peccatum, ut facili negotio superare illos possimus per remedia nobis data, quomodo ciconia serpentem jam a se contractum et collisum objicit pullis suis omnino dilacerandum: sed videamus quid virium in præliis habeat vox alleluia. Et quidem primo, contra visibiles hostes tantum potuit alleluia, ut ejus ingeminatione territi et in fugam acti sint Pelagiani, Britanni a Galliæ duce S. Germano; qui tempore paschali sacerdotes tertio id inclamare jusserat, postea populum clamore subsequi. Unde percusso aere in montibus voces multiplicatæ sunt: ex quo hostes territi et in fugam, projectis armis, conversi sunt; ut est apud Baron. anno 429. Quin etiam II. Par. XX. cum Israelitæ sub rege Josaphat cœpissent laudes canere ac dicere: *Confitemini Domino*, id est, laudate Dominum (seu alleluia) vertit Dominus insidias hostium in semetipsos. Deinde ad tolerandas fortiter adversitates usurpatum alleluia a ss. martyribus Felice, Fortunato et Achilleo, qui ob fidem incarcerationi ad martyrium se animabant, psalmi illius sexaginta quinque decantatione: *Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo alleluia*, ut refert Sur. 23. april. Denique contra invisibiles etiam hostes, cujus exemplum refert Cæsarius, l. IV. c. LIV. de Gerardo tyrone religioso, qui per alleluia cantatum a vexatione dæmonum liberatus fuit. Igitur si tantum potuit alleluia in his præliis, cur non etiam in nostris, quæ cum dæmone gerimus?

IV. Hortatur ad vitæ renovationem et puritatem sectandam, quia canticum novum et angelorum est, qui perpetuo laudant Deum adeoque canunt alleluia semper, ut videre est Apoc. XIX. idemque cantabant resurgente Christo, quando per resurrectionem novi Adami ruinas suas explendas viderunt, ut habetur c. hi duo, de consecrat. dist. I. Rursum tempore S. Gregor. M. cum canere auditi sunt: *Regina celi lætare alleluia*, ut refert Joan. diacon. in actis Gregor. Ideo tamquam vox patriæ cælestis non est translata in linguam nostram. Quoniam igitur Ecclesia tempore quadragesimæ et penitentiae non putavit se dignam ut ore adhuc polluto laudaret cum angelis et angelica voce Deum, (ad instar Thaidis illius Alexandrinæ penitentis, quæ ob præteritam lasciviam non æstimabat se dignam, quæ Dei nomen ore proferret, ideoque solum dicebat: *Qui psalmasti me, miserere mei*, ut refert Marculus, l. IV. c. X.) nunc vero per penitentiam purificatam se existimat, ideo tanta alacritate prorumpit in alleluia. Ad eundem enim modum S. David, in psalmis suis, non cantavit prius alleluia, quam per multos psalmos amovisset

impedimenta istius celeberrimæ laudis. Unde in fine Psalm. CIII. sic concludit: *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita, ut non sint, benedic anima mea Domino alleluia*; sicque deinceps repetit id multoties. Vult igitur Ecclesia, ut deposito mundi crocitu, nunc incipiamus cantare canticum Domini, et loqui linguam alterius patriæ, qua laudemus Deum, non ore tantum, sed et operibus, juxta Ps. *Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Sed proh dolor! vereor, ne Ecclesiæ accidat, quod duci Carthaginiensi Hannoni, qui, ut refert Ælianus, lib. XII. cum plurimas et varias aviculas inclusisset in aviario, et docuisset eloqui verba illa, *Hannon est deus*, quo nimirum postea emissæ nomen ejus undique proclamarent, spe sua defraudatus est; siquidem emissæ aves mox ad pristinum et naturalem suum rediere cantum. Similiter enim Ecclesia per quadragesimam nos quodammodo inclusit in caveam penitentiae, et variis pietatis operibus aptavit, ut Deum digne laudare, amare et venerari disceremus. Sed ubi dimissi sumus, mox ad pristina nostra carmina redimus, aliis canentibus, Plutus est deus; aliis, Bacchus est deus; aliis, Venus est dea; aliis, Mars est deus, etc. Pauci reperiuntur, qui Christum, Deum verum laudent, ament, prædicent, sectentur. Sed quæ est hæc stultitia? Quæ Dei injuria? Qui Ecclesiæ contemptus? Mox destruere, quod ædificaris? Mox vituperare, quod laudaris? Mox oblivisci, quod ab Ecclesia didiceris? Et quis non malit cum angelis laudare Deum in omnem æternitatem, quam blasphemare eum damnatis? Atqui qualem hic didiceris linguam, talem ibi loqueris, talem et sortieris regionem.

## CONCIO VII.

## DE PASCHATE CHRISTIANORUM.

I. Cur pascha celebrent Christiani. — II. Cur non in plenilunio cum Judæis, sed dominica sequente celebremus pascha. — III. Cur semper in dominica celebremus pascha. — IV. Quamobrem mutatum sabbatum in dominicam.

## THEMA

*Præcedet vos in Galilæam, iei cum videbitis. Marci II.*

Diu multumque olim quæsitum fuit, quo potissimum tempore pascha Christianorum celebrandum foret. Imprimis Blastus quidam, teste Tertulliano, libro de præscript. docuit pascha cum Judæis celebrandum luna quarta decima, sive ea incidere in dominicam sive in aliam diem. Fue-

runt deinde Cappadoes, qui, feste Epiphania, hæc. L. semper pascha celebrabant die 23. martii, quia putabant eo die Christum passum fuisse, ipsoque passionis die pascha celebrandum. Tertio, Britones et Scoti, apud Bedam, l. III. hist. cap. XXV. contra communem totius Ecclesie usum pascha celebrant prima dominica post lunam decima tertia. Ita, ut aliquando ipsa luna quarta decima pascha celebrarent, aberrantem a Judæis quam a Christianis; siquidem Judæis primus dies paschæ solemnus erat luna decima quinta, inchoabant tamen a vespera diei præcedentis, luna scilicet quarta decima qua et agnum comedebant. Aut illis dies paschæ erat luna quarta decima inchoans a vespera pridiana lunæ decima tertia. Quarto, Novatiani, teste Socrate, l. V. hist. c. XX. in decreto suo, statuerunt liberum esse unicuique debere celebrare pascha, quando velit. Denique Aerijs pascha omnino exterminabat, quod judaismum saperet, teste Epiphania, hæc. LXXV. Sed quid nos inter has tenebras, auditores? Ubi nobis querendum verum et congruum tempus paschatis nostri? Utique in Ecclesia catholica, ad quam sub typo Galilææ remittit angelus fideles in hod. evangel. *Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Galilæam Ecclesie typum dico primo, quia Galilæa sonat transmigrationem: Ecclesia autem militans toto conatu querit transigrare ad triumphantem et cælestem patriam. Deinde in Galilæa habitabant gentiles et Judæi: Ecclesia etiam ex utrisque coaluit in unum. Denique, in Galilæa Christus spectatissima apparitione omnibus fidelibus, qui adesse poterant, videndum sese præbuit: Ecclesia congregatio est omnium fidelium: ergo ad hanc eamus, hanc interrogamus, quid de paschate sentiendum sit, ibi Christum videbimus.

I. Opponat aliquis cum Aerijs: Ad quid pascha Christianis? Nonne id judaismum sapit? Resp. cum card. Bellarmino, lib. III. de cultu sanct. XII. non agere nos pascha Judæorum, sed quod illo significabatur. Significabat autem primo, transmigrationem angeli, qui nocte qua immolabatur agnus ab Hebræis in Ægypto, transcendit quasi per saltum domos Hebræorum, ne periret eorum primogenita, quæ ratio redditur Exod. XII. *Est enim pascha, moxque ratio subjungitur: Transibo enim per terram Ægypti nocte illa, et percussam primogenita Ægyptiorum: erit autem sanguis vobis in signum in ædibus vestris, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga.* Secundo, ipsum agnum paschalem; qui per immolationem transibat de vita ad mortem. Unde dicitur Luc. XXII. *Necesse erat occidi pascha.*

Tertio, transitum populi, quia illa ipsa nocte, liberatus a tyrannide Pharaonis, transivit per mare rubrum, ut iret in terram promissionis. E hanc significationem agnoscunt Gregorius Nazianzenus, orat. II. de pascha, et Augustinus, tract. LV. in Joann. Quarto, ipsum festum diem: nam Luc. XXII. dicitur: *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha.*

Porro, hæc quatuor sunt etiam suo modo apud Christianos. Nam angelus transiliens et occidens primogenita Ægypti, salvansque filios Israel, est Christus, magni consilii angelus, qui dum hodierna die transit de morte ad vitam, salvavit omnes, qui ejus sanguine aspergendi erant, relictis cæteris in manu vastatoris: occidit etiam pessima illa primogenita, diabolus, peccatum, mortem, infernum. Deinde idem Christus, Dominus noster, agnus etiam paschalis est, pro nobis in cruce immolatus. Rursum, transitus per mare rubrum quid aliud significat, nisi transitum populorum per aquas baptismi? Eam ob causam olim in paschate ordinarie baptizabantur catechumeni. Denique festus Judæorum dies nostrum figurabat festum, quod hodie ob memoriam resurrectionis Dominicæ peragimus.

II. Opponat aliquis cum Blastis et quartodecimianis: Cur non ipsa luna quarta decima una cum Judæis celebremus pascha, sed dominica primum sequente? Respondetur in omnibus Conciliis statutum fuisse, ne pascha cum Judæis celebraretur luna quarta decima post æquinoctium vernum, sed dominica sequente primum. Id ostendit Constantinus imperator in epistola ad omnes Ecclesias, apud Euseb. lib. III. de vita Constant. tribus rationibus. Primo, ne concurramus cum Judæis, Christi interfectoribus: secundo, quia par est, ut in tota Ecclesia sit una ratio celebrandi pascha, et par etiam est, ut pauciores pluribus cedent. Porro, ab antiquis temporibus Roma, Italia, Africa, Gallia, Hispania, Britannia, Ægyptus, Lycia, Græcia, Pontus, Cilicia et magna pars Asiæ celebrant pascha die dominico, soli autem pauci orientales contra totum meridiem, occidentem, aquilonem et magnam orientis partem, cum Judæis pascha celebrant: tertio, quia absurdum est uno anno bis pascha facere, et alio anno nunquam. Atqui hoc accidebat illis, qui pascha quarta decima die agebant; nam illi non observabant æquinoctium, sed solum menses duodecim lunares, et celebrabant pascha luna quarta decima mensis primi, dicti Nisan, (primo inquam in anno sacro, qui ab æquinoctio verno seu 21. martii inchoabat: non anni vulgaris, qui ab æquinoctio autumnali) non curantes, si illa decima quarta esset ante æqui-

noctium vel post. Itaque interdum accidebat, ut uno celebrarent pascha post æquinoctium, et anno sequenti ante æquinoctium, et proinde bis in uno anno: quarto his accedunt divina testimonia. Refertur imprimis in vita S. Marcellini, Ebredunensis episcopi, cujus meminit Ado in martyr. XII. calend. maii, baptisterium, quod ipse juxta Ebredunum condidit, in sanctis paschæ vigiliis, de virtute, singulis annis aquis subditis inundare, idque per septem ejusdemque solemnitate dies continuare solitum. Atque hoc ex miraculo collegerunt, pascha non esse celebrandum ipsa quarta decima luna cum Judæis, uti volebant quartodecimiani, sed in dominica sequente; tunc enim contingebat hoc miraculum. Testatur etiam Paschasianus, episcopus Lilybæi, in epistola ad Leonem, quæ est LXIII. inter epistolas S. Leonis, tempore Zozimi papæ, anno 417. (ut ibi ex eo refert Baronius) ortam quæstionem de paschate, quod occidentales dicerent, pascha celebrandum illo anno, 23. die martii; orientales autem 22. aprilis. Porro, in quadam Ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons divino miraculo per se repleri ipsa nocte paschatis, qua catechumeni baptizandi erant. Illo autem anno, cum ex præscripto Zozimi pascha ageretur 23. martii fons inanis et aridus mansit: deinde 22. april. fons repletus est; atque ex eo intellectum est, errasse occidentales in celebratione Paschæ. Hujusmodi miraculum contigisse etiam anno Domini 373. scribit Sigebertus, in chronico. Siquidem annotavit eo anno fontem baptismalem in Hispania divinitus impletum fuisse in sabbato veri paschatis, quod tunc Galli recte servabant, Hispani autem male. Idem in alio fonte Lucaniæ fieri solitum docet Baronius ex Cassiodoro; et in alio Lyciæ, ubi aqua perseverat usque ad pentecosten, et tunc evanescit, scribit Joannes Moschus, in prato spir. c. CCXIV.

Britonum quoque error, de quo suprad. per miraculum, quo S. Augustinus, Anglorum episcopus, cæcum illuminavit, confutatus est, ut refert ven. Beda, l. II. hist. Angl. cap. II. Quando ergo Deus tot miraculis ostendit verum diem paschatis, consequens est, non esse rem indifferentem, nec sine gravi peccato recedi posse a definitione et consuetudine Ecclesie.

III. Opponat aliquis cum Cappadocibus et Galilis, qui 23. martii celebrant pascha semper: illi, quod eo die Christum passum, hi, quod eo resurrexisset putarent. Cur non eo stabili die, quo surrexit Dominus, celebratur pascha, quamcumque in feriam incidat, quomodo Christi natiuitas, circumcisio, epiphania? Cur semper in do-

minica? Respondetur, Ecclesie traditionem, quæ hoc docet, observandam esse. Testatur id Eusebius, l. V. dicens: « Unum omnes, ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando, nisi in die dominica, qua Dominus resurrexit, dominicum paschæ celebrare mysterium. »

Causam hujus differentie inter hoc et alia Christi festa affert Augustinus, epist. CIX. ad Januarium, nimirum in catholica Christi Ecclesia alios festos dies in memoriam tantum alicujus rei gestæ, alios in memoriam simul et sacramentum celebrari. Prioris generis sunt Christi natiuitas, circumcisio, epiphania: posterioris vero passio, resurrectio, ascensio, pentecostes: quæ non ideo solum celebrius peraguntur, ut Dominum pro nobis mortem obiisse, resurrexisse, ascendisse, Spiritum sanctum misisse recordemur; sed etiam ut aliquid præterea a Domino gestum, vel a nobis gerendum intelligamus. Ergo dominica resurrectioni decreta, primo, quia in eo die mundus fuit a Deo factus, ita in eo fuit a Christo rediivo reffectus et revocatus, necnon immortalitate in Christo donatus. Secundo, quia ea dies vocatur dies solis, ut a Justin. martyre, apol. II. in fin. in qua nempe sol justitiæ Christus, qui mortis eclipsi fuerat obscuratus, nova claritate effulsit. Unde apposite S. Marcus, eo forte respiciens, scripsit mulieres venisse ad sepulcrum *orto jam sole*, sole inquam Christo jam resuscitato. Sidus enim solare tunc quidem radios diffuderat supra horizontem, nondum tamen ortum erat, ut ex Matthæo colligimus. Tertio, ut meditando Christi mysteriis certos et stables haberemus dies, feriam sextam passioni, sabbatum sepulture, dominicam resurrectioni. Feria sexta diem penitentiae, sabbatum diem quietis seu mortis, dominica diem æternæ gloriæ, in qua omnes rediivi occurremus Christo, representat: quibus diebus vitæ nostræ cursus absolvitur.

Accedit etiam ad hæc divina comprobatio. Testatur enim liber de Rom. pontificibus in Pio papa, eo tempore quo apostolicam traditionem de celebratione paschatis Pius papa decreto sancivit, fratrem ipsius Pii Hermem librum scripsisse, in quo mandatum contineretur, quod ei præcepisset angelus homini apprensus in habitu pastoris, ut sanctum pascha die dominica celebraretur, apud Baron. anno. 139.

IV. Opponat aliquis cum Judæis et Sabbatianis: Quo jure et quamobrem mutavit Ecclesia sabbatum divino jure præceptum, in dominicam diem? Resp. juris quidem divini, imo et naturalis esse ut dies aliqua divino cultui dicata sit: quod vero eam diem nominarit et de-

finierit Deus Judæis diem sabbati, id non naturalis juris, sed legis tantum cæremonialis fuisse. Potuit ergo Ecclesia, quæ in nova lege minime obligatur ad leges Judæorum cæremoniales, mutare illum diem et determinare alium ad divinum cultum; idque magnis de causis facit. Primo, ne cum Judæis celebrando sabbatum videretur judaizare; secundo, quia ingentia beneficia die illa mundo exhibita: creatus mundus, resurrexit Christus, missas Spiritus sanctus, abrogata lex vetus et promulgata nova; tertio, quia sabbatum celebratum fuit partim in memoriam beneficii præteriti; creationis mundi videlicet, partim ad significandum aliquid futurum. Figurabat autem tria futura beneficia, ad quæ revocantur omnia alia. Primo, quietem Christi in sepulcro; ut enim Deus sabbato quievit ab opere redemptionis, ut apostolus observat ad Heb. IV. et hoc sensu allegorico; secundo, sensu tropologico quietem mentis humanæ a servilibus peccatorum operibus. Judæi enim dum sabbato vacabant, monstrabant venturum tempus gratiæ, quo liberati homines a servitute peccati, quiete spirituali fruenterentur, ut exponit S. Augustinus, tract. XXX. in Joan. Tertio, sensu anagogico figurabat quietem sanctarum animarum, quam post mortem in sinu Abrahæ expectabant, ut docet S. Augustin. ep. CXIX. Jam vero propter has easdem causas decuit ut sabbatum in lege nova mutaretur in dominicam. Quantum enim ad memoriam præteritorum, dies dominica longe præcellit sabbatum; nam refert nobis memoriam natalis Christi (siquidem die dominica natum ostendunt calculi mathematicorum) et resurrectionis ejusdem, necnon adventus Spiritus sancti, quo die nata est quodammodo Ecclesia. Representat etiam memoriam creationis mundi non minus quam sabbatum, quia illo die cepit mundus fieri et factus est quoad principales sui partes. Quoad futurorum significationem, cessare debuit sabbatum, quia omnia impleta sunt, quæ per illud figurabantur; etenim Christus jam in sepulcro quievit, et quies animarum in Deo jam agitur: quies vero animarum in sinu Abrahæ jam est mutata in gloriam et beatitudinem, quæ per dominicam melius representatur quam per sabbatum. Et ideo S. August. ep. cit. ait sabbatum recte datum Hebræis, qui post mortem ibant ad solam quietem; Christianis vero datam esse diem dominicam, quia jam revelata est gloria resurrectionis Christo, et quod præcessit in capite, etiam corpus totum expectat.

Has ob causas Ecclesia magno semper in honore habuit diem dominicam et quatuor insigni-

vit prerogativis. Primo, Christiani conveniebant in Ecclesiam ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem, ut ex Justino patet apol. II. Secundo, vacabant ab operibus servilibus, ut patet ex Hieron. ep. ad Eustochium de virginit. et Gregor. I. XI. epist. III. Tertio, non jejunabant, ut patet ex Tertul. de corona militis et aliis. Quarto, non flecebant genua, sed stantes precabantur, de quo extat. canon XX. Nicæni Concilii, et Tertull. lib. cit.

Imprimis vero summo in honore semper habitata fuit dominica resurrectionis, seu hodierna dies, quam S. Gregorius appellavit, *Festum festorum et regem dierum*, apud Gretser. I. de festis. Ad ejus honorem imperatores reos libertate donarunt. Anno Christi 385. Valentinus, Valens et Gratianus Augusti sanxerunt, et ad Lampadium urbis præfectum ita rescripserunt: *Ob diem paschæ, quem intimo corde celebramus omnibus, quos reatus astringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Ubi primum dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnia vincula solvantur.* Extat hoc rescriptum, l. VIII. de indulg. crim. C. Theodos. Eadem indulgentiam reis eodem festo dedit in oriente Theodosius imperator, ut testatur S. Chrysost. orat. de Flaviano episc.

Hic accedit divina attestatio, quæ sanctæ hujus diei violatores graviter punivit. In vita S. Mauriti Andegavensium episcopi (qui fuit discipulus S. Martini) 5. septemb. narrat de quodam, cui nomen erat Belgicus. Hic die paschæ mandaverat servis ut segetes mundarent, replicant illi esse diem paschæ, ipse urget et invitos cogit; sed cum illi segetes sarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus clamavit ut cessarent: cum autem tres annos in ea cæcitate permansisset, tandem tangens S. Mauriti pertranseuntis vestes, sanatus est. In vita S. Bertini narratur ipsa nocte resurrectionis tres servos ex S. Mauriti mart. monasterio piscationi vacasse, atque cepisse quidem piscium copiam, sed duos ex ipsis manuum et pedum officio privatos, toto corpore contritos e navi exire non potuisse; tertium vero et claudum et surdum effectum, qui tantum scipionum opera in nocte resurrectionis visitans monasterium Sancti Bertini, eumque cum lacrymis invocans, per ejus merita sanitati restitutus est. Ergo, auditores, quando hodiernum festum tanti semper æstimatum est in Ecclesia catholica, superest, ut nos quoque debita cum reverentia illud suscipiamus, eoque cultu et pietate qua primi Christiani solebant, ferias istas transigamus, quo tandem aliquando cœleste illud pascha cum Christo manducemus in regno ejus.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

- I. Ratio serviendi Deo. — II. Conversandi in templo. — III. Firmiter in Deo sperandum. — IV. Hæreticorum imposturæ. — V. Ratio parandi nos ad s. communionem. — VI. Effigies beatitudinis.

## THEMA.

*Ecce locus ubi posuerunt eum. Marci XVI.*

Notis, auditores, Salvatorem nostrum comparasse corpus suum templo Salomonis, Joan. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, dicebat de templo corporis sui, et quidem sapientissime. Nam primo, uti primum illud templum extructum a Salomone, destructum est a Chaldæis, reparatum a Zorobabele; ita corpus Christi enectum est a Judæis, restauratum ab ipso Christo. Secundo, reparatio templi Salomonici magna festinatione peracta est, urgentibus opus levitis, ut habetur I. Esdr. III. corpus etiam Christi Domini tertio die vix inchoato restitutum et ab inferis excitatum est. Tertio, de secundo illo templo scribit Aggæus, cap. II. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Templum etiam corporis Christi redivivi longe fuit augustius, quam fuerit prius, utpote gloriosum et immortale. Denique, ubi templum illud secundum consummatum fuit, ingens Hebræorum clamor et vociferatio præ gaudio audita fuit, ita ut clamantium voces intelligi non possent: nos etiam hoc die, quo instauratum est corpus Christi, jure merito lætamur et vociferamur alleluia, tametsi vocem hanc peregrinam aliqui non intelligunt. Cæterum ut cum fructu gaudere hodie possimus mente revolvamus, quæ circa hujus templi reparationem contigisse narrantur in evangelio, sepulcrum aspiciamus, quo nos remittit angelus dicens: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.*

I. Ecce locus, ubi discimus modum serviendi Domino Deo, et quidem in mulieribus pergentibus ad sepulcrum. Primo enim summo mane, imo de nocte surrexerunt, et emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum, ieruntque ad sepulcrum diluculo, ante solis ortum. Docent ergo non usque ad multam lucem stertere, sed solis ortum prævenire surgendo, quemadmodum et Christus ipse surrexit ante solis ortum; præterea primam diei actionem Deo ejusque cultui, orationi vel meditationi consecrare. Pretiosum unguentum est oratio et meditatio, quod de nocte paramus, cum noctu subinde nos colligimus, quid mane meditaturi vel boni acturi simus. Ha-

buit hoc solemne David, qui Psal. LXII. ait: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Eundem psalmum incipit: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* q. d. cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem et ita vigilo ad quærendum, et desidero te velut cibum et potum animo et corpore. Mundi et gulæ mendacia quamprimum mane evigilant, haustum selectioris vini postulans ob sitim ex præcedente crapula, atque ita summo mane rursus se proluunt: hæc illorum oratio et meditatio matutina est, sed non similis Davidicæ: *Sitivit in te anima mea*, inquit, necnon *et caro mea.* Idem quam solet tempeste surgere, prodit Ps. LVI. cum dicit: *Excursam diluculo*: alii legunt: *Excursam auroram*, quasi ægre ferret moram surgentis auroræ, qua se orationi deberet. Pretiosum etiam unguentum esse missæ sacrificium mane præsertim cum devotione quotidie auditum, quod vocamus a majoribus nostris sedulo frequentari solitum, et in eum finem magnis piorum impensis fundatum. Eo instigat nos exemplum Job, qui sanctificabat filios suos, *consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*, Job. I. Non tanti constat sacrificium nostrum, quanti sacrificia Judæorum, ovis, capra, vitulus, bos; non tanti, quanti unguenta et aromata mulierum: occur ergo tardamus sacrificare nos, et ungere Dominum nostrum?

Secundo, Magdalena adjunxit sibi socias, mulieres devotas; et cum iis velut signifera perrexit ad sepulcrum. Ita boni fideles nituntur ad Christum, hoc est, ad fidem, ad Dei cultum, ad templum adducere secum alios quoque, præsertim cognatos suos, et familiares suos. Quod egregie præstitit S. Bernardus, qui ubi se religioni devovit, studuit mox ad idem propositum pertrahere fratres suos, aliosque propinquos et notos, idque felici prorsus successu, ut habetur lib. I. vitæ ejus, c. III. Omne agens prius et fortius agit in res sibi vicinas et cognatas, quam in remotas et dispares, ita ad suos quisque propinquos, domesticos et subditos attendere debet, ut Christo eos lucraretur, ne alioquin juxta apostoli sententiam sit *infideli deterior*, I. Tim. V.

Tertio, rigide observabant sabbatum; cum enim transisset sabbatum, emerunt primum aromata non ipso sabbato; sed, ut ait S. Luc. *Sabbato siterunt* (id est, quieverunt ab opere) *secundum mandatum.* Opus pium erat parare Christo unguenta, nec multi laboris: ne tamen propterea officinæ aromatarum recludi deberent, indeque aliqui scandalizarentur, maluerunt in